



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

IX. Quando, propter Sacerdotis absoluentis defectu[m], Confessio informis,
& iteranda sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput IIII. De Confessione

tionis illi proficuum esse incipiet ad scelerū condonationem; nec superiora peccata tene- tur iterum subiicere Clauibus Ecclesiæ; sed sufficet fictionem confiteri, nimirum, quòd vel imperfectum existimet fuisse dolorem, aut diligentiam in examinanda conscientia non satis accuratam.

Quæstio VIII. *Estne informis Confessio sic valida, vt non sit necessariò iteranda?*

Respõsio. **N**EC omnis informis Cõfessio est valida, nec rursus inualida, & inutilis. Iudiciū verò, vtrum valida sit, necne, non satis ex eo, quòd informis sit; sed ex causis potiùs, ob quas informis est, sumitur. Quæ quidē par- tim ex Sacerdotis absoluentis, partim ex cõ- fitentis defectu petendæ sunt.

Quæstio IX. *Quando, propter Sacerdotis absoluentis defectum, Confessio informis & iteranda est?*

Respõsio. **A**Ntequàm soluat hęc quæstio, scire oportet, quanam in Sacerdote absoluen- te necessaria sint, vt valida sit eius Absolutio. Requiritur enim in absolvente potestas Or- dinis Sacerdotalis: Si enim Sacerdos non sit, remittere peccata non poterit. Solis enim Sacerdotibus collata est huiusmodi Potestas remittendi peccata, iisque solis, quo tempo- re ad

re ad Sacerdotium promouentur, dicitur: Ioan. 20.
Quorum remiseritis peccata &c.

SECVNDO, requiritur in eisdem Potestas iurisdictionis super absoluendum. Id quod patet ex Concilio Florentino, declarante; Sacerdotem non posse quenquam à peccatis absolvere, nisi iurisdictionē habeat, vel ordinariā vel commissā super absoluendū.

TER TIO, requiritur in Absolutione Scientia, quā scilicet sciat, qua forma uti debeat, ut verè absoluat; aliōqui, si id nesciat, quo pacto verè valeat absolvere, nō apparet.

QVARTO, requiritur in eodem Intentione, sicut requiritur in ministro cuiuscunq; Sacramenti, qua deficiente, nullum est Sacramentum.

Igitur inter hæc omnia, si vnum aliquod desideretur in Confessario: Absolutio erit inualida. Hoc est, si Cōfessarius careat Potestate ordinis & iurisdictionis; si Formā ignoret Absolutionis, aut eam corrumpat; si Intentionem non habeat absoluendi: Confessio semper inualida est, & idcirco iteranda.

Super est aliud impedimentum ex parte Sacerdotis, de quo in sequenti Quæstione.

Estne Absolutio à Confessario excommunicato, nominatim denunciato, planè nulla, & idè talis Confessio iteranda?

Quæstio
X.

Con-